



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

VII. Eo sensu explicatur Constitutio Friderici II. & Decretalis Honorij, verbàque Nicolai I. nempe de canonibus & decretis receptis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

non solum eos articulos Novellarum amplectitur qui Canonum verba *καὶ νόμους* sequuntur, sed etiam eos qui canonum mentem jurisdictione supplerunt, id est, adjectionibus quibusdam legitimis, & Deo gratis, ut loquitur ille, canonum sententiam interpretando, quæ videbantur omissa addiderunt. Quin etiam eas leges quæ canonibus per interpretationem aliquid adjiciunt, quæque modum rei gerendæ & ordinem judiciorum præscribunt, inter ea recenset quæ vocat *συνάδοις τῶν νόμων τοῖς ἐκκλησιαστικῶν καὶ νόμοις*. Quamvis alios quosdam articulos, qui canonibus non continentur, inter ea reponat quæ vocat *ἐπεὶ κατὰ τὰ ἐκκλησιαστικά*. Quale est, de Abbatum electione, ne Clerici sint literarum expertes, aut Curia addicti, & de bonorum ecclesiasticorum alienatione, & aliquot ejusmodi. Exemplo Ioannis Scholastici, Phorij Nomocanonem suum edidit; ubi leges cum canonibus componit, quamvis alia methodo.

Greg. lib. 11. ep. 14.

Habetur apud Gratia. 11. q. 1. De persona.

Ioannes ep. 163.

Hincmarus Opusc. c. 17. Sed & leges Romanas ab imperatore Iustiniano promulgatas, quas probat Ecclesia.

V. Novellarum ecclesiasticarum usus obtinuit etiam in Occidente; ut videre est apud Gregorium Magnum, qui Ioannem Defensorem abeuntem in Hispaniam monet quid sequi debeat in iudicio quod illi delegarat. Et initio Commonitorij profert Novellam constitutionem cxxiii. quæ penè totius antiqui juris canonici synopsis complectitur, ipsamque interpretatur. De persona Presbyteri, inquit, hoc attendendum est, quia si quam causam habuit, non ab alio teneri, sed Episcopus ipsius adiri debuit; sicut Novella Constitutio manifestat, quæ loquitur de sanctissimis & Deo amabilibus ac reverendissimis Episcopis, Clericis, & Monachis. Imperator Iustinianus Augustus Petro Gloriosissimo prefecit pretorio: Si quis contra aliquem Clericum &c. Plurium legum testimonia deinde profert, ex quarum præscripto iudex delegatus iudicium ferat. Ioannes etiam VIII. Novella Constitutione nititur adversus quosdam Episcopos, qui Biebertinum laicum sine causæ cognitione à communione removere tentabant. Insuper, inquit, nostro apostolatu intimavit (Biebertinus) ut cum sine ratione discussa excommunicare vultis. Quapropter apostolica auctoritate iubemus ut nemo vestrum eum excommunicet antequam ad legis examen proveniat. Scitote quemadmodum in centesimo capitulo Africani Concilij legitur, similiter in secundo Novellarum Iustiniani libro, ut nemo Episcopus aut Presbyter aliquem excommunicet, antequam causa probetur &c. Quare non immeritò Hincmarus & Ivo Novellas Constitutiones Iustiniani à Romana Ecclesia servari scripserunt, ille in O-

pusculis, hic in Epistolis.

VI. Constitutiones Iustiniani in iudiciis ecclesiasticis viguisse dixi, quia secundum Canones erant decreta. Unde quæri solet de legibus, quæ de causis ecclesiasticis latae, canonibus adversantur, quem locum obtinere debeant. In eam rem extat Valentiniani III. & Marciani Constitutio edita anno CDLIV. à qua discere non licet: *Omnes sanè pragmaticas sanctiones, quæ contra canones ecclesiasticos interveniunt gratia & ambitionis elicitæ sunt, robore suo & firmitate vacuatas cessare precipimus.* Hoc suum propositum Marcianus per Iudices cognitores Synodo Chalcedonensi expresserat: quæ solitis acclamationibus iustam sententiam excepit, & in eas voces erupit quæ Actione quarta Concilij continentur, ut nullæ Pragmaticæ leges adversum Canones vim habeant, quemadmodum uberiorè dixi superiori capite octavo. Id tantum monebo, Principum eam fuisse mentem, ut nihil sibi licere putarent in eos canones qui editi fuissent à Synodis Oecumenicis, & Edicto publicè recepti. Quare Theodorus Balsamo graviter refellit Græcorum illorum propositum qui canones non esse servandos dicerent cum legibus adversantur: quia, inquit ille, *canones ab Imperatoribus & à sanctis patribus editi & confirmati, tanquam divina scriptura suscipiuntur; Leges autem à solis Imperatoribus aut editæ aut receptæ sunt; & propterea vim non obtinebunt adversus divinas scripturas aut Canones.*

decretum: De Episcoporum sine Metropolim sub auctoritate profectio. Ivo ep. 163. Dicitur in ista legem Novellam, quæ auctoritate, & firmata Romana Ecclesia.

L. Privilegia. C. de sacro. l. dicit.

Balsamo d. 1. ca. 1. Novoc. Phorij ad epistolam. Ivo ep. 163. Dicitur in ista legem Novellam, quæ auctoritate, & firmata Romana Ecclesia.

VII. Eadem est omnino sententia Friderici II. Imperatoris, cujus Constitutio extat inter Honorij III. epistolas, quam Romæ ipso die inaugurationis suæ edidit anno MCCXX. quæque relata est in Codice post Marciani legem. Etenim Fridericus irrita esse iubet omnia statuta & consuetudines quæ contra libertatem Ecclesiæ edita sunt adversus canonicas & imperiales sanctiones, id est, adversus canones qui ex Principum edicto aut consensu promulgati fuerint. Eodem tempore Honorius decretali epistola, excommunicatione percellendos statuit qui ea statuta & consuetudines introductas contra Ecclesiæ libertatem retinere, & juxta earum præscriptum iudicare præsumperint. Quæ verba lucem accipere debent à Constitutione Friderici, scilicet quatenus Ecclesiæ libertas contra canonicas & imperiales sanctiones oppugnabitur. Eodem pacto intelligendus est Nicolaus primus in epistola quam ad Concilium Silvanectense scripsit, cum ait *Imperatorum leges non esse penitus revocandas; sed evangelicis, apostolicis, atque canonicis*

Extat etiam in Codice post Marciani legem. De Constitutione.

Auribent. C. de sacro. l. 1. c. epist. Honor. 493.

C. Novoc. de sentent. excomm.

Nicolaus ep. 11. relatus à Gratiano.

Decretis,

Decretis, quibus postponende sunt, nullum posse inferre prejudicium. De illis enim Decretis canonicis loqui censendus est quæ recepta fuerunt.

VIII. Ceterum non pigebit hinc refricare quod supradicto capite octavo monui, nempe, leges quæ Canones infringunt, esse quidem nullas ipso jure, sed nec Pontifices nec Synodum Oecumenicam hoc sibi arrogasse ut eas Decretorum suorum auctoritate rescinderent; verum id à Principibus exorasse. Id docuit Photius Tyri Episcopus suo exemplo, ipsaque Synodus Chalcidonensis, quæ decreverat de metropoli Beryti datum adversus canones, à Iudicibus rescindendum esse professâ est. Sed præcipue hanc reverentiam Principibus detulit Gregorius Magnus: qui legem à Mauritio latam, quæ decernebatur ne militibus liceret monachismum amplecti, per omnes provincias, ut illi mandatum erat à Principe, publicavit, etsi Christiana libertati contrariam existimaret. *Ego quidem, inquit, jussioni subjectus eandem legem per diversas partes transmissi feci. Et quia lex ipsa omnipotenti Deo minimè concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis Dominis nuntiavi. Vtrobique ergo quæ debui exsolvi: quia & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod sensi minimè tacui.*

Vexatus est iste locus variis eruditorum interpretationibus; quibus ne sit apud me locus, verborum simplicitas facit. Duo capita lex ista Mauritiij continebat. Primum, ut ei qui publicis actionibus se immiscuisset, & reddendis rationibus esset obnoxius, liberum non esset Clero adscribi. Quod Gregorius amplectitur, nec excipit à non competente iudice rem fuisse decretam. *Dominorum pietas sanxit, inquit, ut quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad officium ecclesiasticum venire non liceat. Quod valde laudavi, evidentissimè sciens quia qui habitum secularem deserens, ad ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult seculum, non relinquere.* Quod alienum esse videtur à regula superius proposita, ut hoc etiam obiter adnotetur; quæ contendi non licere Principibus de ordinibus ecclesiasticis leges ferre suis auspiciis, sed tantum in consequentiam Canonum, aut etiam regularum monasticarum, si de monachis agatur. Hinc autem Mauricius de Clericorum conditionibus decernit, non reluctante Pontifice. Sed observandum est, leges in hoc genere admitti, cum in personam laicorum conceptæ sint, & eo proposito feruntur, ut Reipublicæ commodis consulatur; quemadmodum confirmari potest anti-

quiori exemplo. Veruerat Imperator anno cccclxi. ne officiales rationalium ad Clerum proveherentur. idemque de Curialibus præceperat Honorius anno eccxcviii, alioquin auctoritate Principis à Clero revocari, ad priorem conditionem retraherentur. Eam ob causam Innocentius I. hanc Curialium ordinationem vetuit post annum quadringentesimum. *Præterea, inquit, frequenter quidam ex fratribus nostris Curiales, vel quoslibet publicis functionibus occupatos, Clericos facere contendunt: quibus postea major tristitia, cum de revocandis eis aliquid ab Imperatore precipitur, quam gratia nascitur de adscitis.* Infra: *Sic certè in exemplum sollicitudo & tristitia fratrum, quam sepe perulimus Imperatore presente, cum pro his sapius rogarem; quam ipse nobiscum positus cognovisti; quibus non solum inferiores Clerici ex Curialibus, verum etiam jam in sacerdotio constituti, ingens molestia, ut redderentur, imminebat.* Eo jure utebantur Imperatores temporibus Pelagij Papæ, ut patet ex fragmento epistolæ hujus Pontificis relato apud Gratianum. Quod ad Reges nostros manavit, secularibus ad clericatum non admittis, nisi cum iussione Regis, exceptis Clericorum liberis, ut docet Concilium Aurelianense primum. Eum morem Carolus Magnus lege Capitulari edita confirmavit. Quæ de re dicitur alibi.

IX. Secundum caput legis Mauritianæ vetat ne illi qui publicas actiones egisset, aut manu signatus inter milites fuisset, in monasterio converti liceret. Quod Gregorius alienum omnino à Christiano Principe putat, in eo capite quod monachos respicit: quia via salutis plurimis occluditur, *qui nisi omnia reliquerint, inquit ille, salvari apud Deum nullatenus possunt.* Quare impensè rogat Imperatorem ut legem illam inflectat. Interim verò ab ea promulganda non desistit. Eum autem ordinem observavit quem Iustinianus præscribit in iis Constitutionibus quas ad Patriarchas dirigit, ut ipsi deinde ad Metropolitanos Episcopos promulgandas mittant; quemadmodum dicemus capite decimoquinto. Etenim ad undecim Metropolitanos Italiae, Illyrici, & Græciæ, qui in Romano Patriarchatu constituti, Orientis Imperio parebant, legem Mauritiij transmisit, nempe ad Thessalonicensem Episcopum Macedoniae Metropolitanam, ad Nicopolitanum Epiri, ad Corinthium Achiæ, ad Larissæum Hællados secundæ, ad Iustinianæum Illyrici occidentalis, ad Gortynensem Cretæ, ad Dyrachitanum alterius Epiri, ad Calaritanum Sardinia, ad Episcopos Sicilia, ad

M

*L. Officiales. 4.1  
Si quis. 13. C. de  
Ep. & Cleric.*

*Innoc. in Decretis  
c. 18. apud Grat.  
c. Preterea. D. 51.*

*7<sup>o</sup> de Sacerdotio in  
Novi ad Eadmer.  
126. 195.*

*Greg. 1. 1. Reg.  
17. 41.*